



C A R M E N

RAYMUNDI MINDERERI, D. MEDICI  
ET REIP. AUGUSTANÆ PHYSICI.

**I**N visas alii terras glaciemque pererrent  
Marmoris equorei, fluctusque Aquilone rigentes  
Classibus, atque domum nudi nova monstra reportent;  
Altius humanis sapiens TV SIDERA PANDIS,  
Et Phæbi scandis fato meliore quadrigam,  
Quam puer infelix flammis qui miscuit Orbem.  
Nec tu Thessalicum celeri vertigine Rhombum  
Volvis, ut ex æthra deducas fornice Phæben;  
Astrorum te spontè ducem chorus omnis adorat  
Et cælum omne tuo properat se subdere cælo.  
Quid tibi pro tantis IOANNES imprecer ausis?  
Infra nos ponis quem supra cernimus axem  
Despicimusque ignes proni, quos ante supini  
Pluribus ignotos suspeximus admirantes.  
Non tibi se tellus non totus debeat æther?  
Parrhasis excipiat plostro, ducatque Bootes  
Serus, nam serum tellus dimittere vovit.  
Noane Iovis te magna soror conjuxque vehentem  
Per callem ducat, quem lactea semita signat?  
Donec ad illustrem radiis arvoque micantem  
Aspires thalamum Clarii, cinctusque corona  
Lumina quæ rutili complectitur aurea cæli  
(Nam labor astrorum tam nobilis astra meretur)  
Æternùm referas peperit quem cura triumphum.